

2113



2114

# CODICES ASCETICI.

556 ——— 659.

DLVI.

789 **C**odex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 51. 8. caractere luculento exaratus et rubricis distinctus exhibet: I. Opusculum inscriptum minio: *Incipit Publica Theophili Penitentis Satisfactio. qui christum abnegavit. et ueniam beatę marie interuentu adipisci promeruit.* Fuit hic *Theophilus Ecclesie Adanensis in Cilicia Orkoxomos* seu *Vicedominus*, Poenitentiamque, de qua hic narrat *Eutybianus* domesticus ejus, egit circa an. 538. Narrationem e Graeco *Eutybiani* latine vertit *Paulus Neapolitanae Ecclesie Diaconus*, misitque ad *Carolus Regem*, qui *Godefr. Henschenio Calvus* magis videtur, quam *Magnus*. Adi ejus *Commentar. praeuium* de S. *Theophilo Poenitente* *Ad. SS. T. I. Februarii*

*Die IV. p. 480.* cui etiam insertum est Opusculum nostrum e III. *Codicibus* mss. adparatum. Incipit illud: *Factum est priusquam incurio fieret in romanam rempublicam execrande persarum gentis fuisse in una ciuitatum ciliciorum secunda regione quendam uicedominum sanctę dei ecclesie nomine teophilum moribus et conuersatione precipuum.* &c. Quae hactenus cum Impressis satis conspirant. At deinceps Lectio saepe differre incipit, ut adeo pro noua editione *Codex* hic omnino consulendus foret. Ita sub finem lego: *Post triduum autem omnibus fratribus ualedicendo osculum tribuens. omniaque sua prius egenis pauperibusque optime distribuens. animam quoque suam sanctę trinitati et beatissimę marie sue liberatrici*

*liberatrici commendans. ultimum huius uitę diem in ipso quo uiderat uisionem loco feliciter compleuit. Beatoque sine prestante domino ad ęternam gloriam transmigravit &c. Aliter Impressa, quae, qui uolet, conferet.*

II. fol. 13. *Incipit Ammonitio Venerabilis Bede Presbiteri De Laude Caritatis. Et Quomodo Cunctis Virtutibus Preferenda Sit. Initium: Tue non immemor petitionis. hanc commonitiunculam pro anime tue profectu. o karissima mater tibi ut rogasti scribere studui &c. Indignationem saepe mouet Librariorum medię aevi sive ignorantia, sive fraus, qua magnorum Virorum nomina Libellis proletariis liberaliter adleuere. Ita qui hic Bedam praefert, Cod. CCXL. Augustinum mentitur. Ad Adelberum quendam τῆς Ουτοπίας Episcopum referri ibi dixi in Cod. Tegernseensi. Index Capitum XV. in praesenti Exemplo nullus, sed in fine haec addita legas: *Obsecro te o carissima soror et domina per illum qui te creauit ut creberrime pro me exorans dicas. deus omnipotens miserere famulo illi. Explicit.* Atque haec Codex CCXL. non agnoscit.*

## DLVII.

331 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 61. f. non eadem manu, commode tamen exaratus sequentia complectitur: I. Prolixam *Epistolam* ad vitam recte instituendam hortatoriam e *Germania*, ut uidetur, scriptam

Sacerdotibus *Italıs*; ita enim insignitur: *Dilectissimis filiis in christo alpinis ausonicisque partibus degentibus. mare presidentibus. Omnique decoris stemmate predictis Citra danubii fluuenta latitans, inter (in) sclauorum montibus et abietum densitudine cubans non sicomoros sed fagos uellicans Noricus italicis blaucidius nigerrimis iob laetis senex iuuenibus Christicolis et celibes (coelites?) polumque efficaci uolatu penetrantibus. ranicula locis humentibus garriens siue luscinię pippans. Idioma (te?) carens tenentibus idioma. Volatiles (Volatilibus) terrigena. Extorris indigenis suis licet tetrıs in domino dominorum paciferam ac permanentem sempiternamque salutem. Initium Epistolae depromptum est ex *Epistola VIII. Hieronymi ad Niceam: Comicus Turpilius tractans &c. Edit. Veron. Opp. T. I. p. 20. usque ad ea uerba: Ecce beatus Chromatius. Dein prosequitur suis uerbis Noster: Namque sepius apices caritarum etiam in neophitis amoris magnitudinem inter nec non (nec non in?) quibusdam perfectis exprimere nituntur. Quatenus oculis legatur in syllabis quod cerni minime ualet in mentibus. Ideo uestrae mellisugę memor karissimi germanitatis. Hanc scedulam uobis in commune direxi ut cognoscatis quantam pro uobis habeam sollicitudinem. quam nec terrarum longinquitas nec rubigo obliuionis inter (in) palatio (ita lego pro interpolatio, quod sensum non habet, et Scribae uitio inter pro*  
in*